



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Christ. Francisci Paullini, Ferrariâ-Thuringi, Rerum Et
Antiquitatum Germanicarum Syntagma**

Paullini, Christian Franz

Francofvrti ad Moenvm, 1698

LIV. Conradus IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44860

cum familiis suis. Moritur AD. MCCCLIII. VII. Id. Septembr. Prælatura XL. Jacet in oratorio, quod exstruxerat.

LIII. HENRICUS VII.

LIII. Henric. VII.

E' familia *Craluk*, electus AD. MCCCLIII. in discordia concorditer. Anno sequente bellum habuit cum *Henrico* de *Henneberg*, propter castrum *Werberg*. Vicit tamen & devicit Comitem castrumque. AD. MCCCLIX. *Orto*, Landgravius de *Hassia*, *Hünevelt* clam ceperat, Abbas verò cum adiutoribus suis mox recuperavit. (i) Post triennium pax facta. Sic *Rosforf* Ecclesiæ *Fuldensi* redditur. Occupavit etiam *Borch* in *Hassia*. Anno præcedente *Carolus IV.* Imp. confirmabat ei jus & titulum *Archi-Cancellarii Imperatricis*. Non dedit *Carolus*, sed confirmavit. Diu enim ante Eum habuerant. Dedit Ecclesiæ suæ mitram perlis & gemmis præfulgentem, & baculum purè argenteum multi valoris AD. MCCCLXIV. pestilentia occidit multos etiam in *Fulde*. Moritur AD. MCCCLXXII. XV. Kal. Jun. Prælaturæ XIX. Jacet in monte B. Virginis.

LIV. CONRADUS IV.

LIV. Conrad. IV.

E' familia Comitum de *Hanôa*, Professus *Fuldensis*, bellum magis, quàm pacem, amabat, avarus & rixosus homo. Cùm *Stelligerorum* Societas, (k) sub *Ottone* de *Brunswick* cœpta, in *Buchonia* multum grassaretur, & cives & rustici se associarent, multa passus est *Conradus*, qui verò securitatis ergò se contulit in *Spangenberg*. Sed malitiosi *Stelligeri* eum insequabantur, & in janua camerae suæ stantem violenter necarunt AD. MCCCLXXXII. Prælaturæ X.

LV. FRIDRICUS.

LV. Fridericus.

E' familia *Romrod*, natione *Buchonius*, Professus *Fuldensis*: Ministeriales de *Buchenau* cum adiutorio Landgravii de *Hassia Fuldam* mirè affligunt & vexant usque ad interitum. Debita Ecclesiæ debitis aliis cumulavit. *Hamelburgum* ab Episcopo in *Würceburg* obsessum, & *Popenhusen* victum est. Moritur AD. MCCCXCV. Prælaturæ XII.

LVI. JOHANNES I.

LVI. Johannes I.

E' familia de *Merlaue*, natione *Buchonius*. Multa debita à multis temporibus coacervaverat Ecclesia, & insuper ab omni latere vexabatur &

(Ooo)

(i) Dicet tibi eos *Browv.* L. IV. p. 323. quos tamen *Fabric.* l. c. p. 155. socios Landgravii facit. (k) Vid. hist. de Landgrav. *Thuring.* c. 119.